



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

8. An hoc Sacramentum Confirmationis sit conferendum immediatè manu  
Episcopi, itaut sit nullum, si conferatur pollice sinistro, & non dextero; vel  
alio digito, vel quovis alio instrumento sive ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

tos immergunt, ita etiam in Confirmatione diversas corporis partes inungunt, toties repetita forma; qui tamen actus ex multis particularibus collectus, moraliter loquendo, unus censendus est; quamvis in prima unctioe frontis, Sacramentum Confirmationis perfici, & effectum fortiri, indubitatum esse debeat.

Sup. hoc in Ref. assignatis in annotatione est hujus Ref. \* Sup. hoc etiam cursum supra prope finem §. 2. hujus Refol. verif. Sed unctioem. & sup in Ref. 3. §. Formatio.

Alibi in duabus Refol. seqq. & supra in fine Ref. 2. & in tom. 4. tr. 8. ex Ref. 60. §. ult. & late ibi in Refol. 81. à lin. 9.

Sup. in Ref. seq. & in aliis eius not. prima.

\* Sup. hoc in fine Ref. seq.

4. Cum itaque unctio sit adhibenda, de necessitate sacramenti, in fronte, quaritur, an etiam de necessitate sacramenti sit adhibenda immediate manu propria Episcopi, nullo medio instrumento? & aliqui negant: unde Serra in 3. part. D. Toome, q. 82. art. 4. sic ait: [Communiter asserunt Theologi, de necessitate sacramenti esse, ut unctio fiat in figura Crucis, & Crux formetur Chrismatis unctioe. Quod autem hæc unctio fiat immediate manu ipsius Episcopi, & non medio aliquo instrumento, non est ita certum esse de necessitate sacramenti; nam, quamvis multi hoc factis probabiliter esse dicant; alij tamen oppositum docent.] Ita ille. Et hanc sententiam novissimè tenet Pater Quintanadyenas in Theol. mor. tom. 1. tract. 2. singular. 3. n. 5. qui citat Leandrum, Hurtadum & Henediam. Probatur hæc opinio. Facta enim unctioe medio aliquo instrumento, utpote penicillo, seu calamo, forma hujus sacramenti verificatur: non igitur esse potest necessarium fieri manu Pontificis immediate. Neque ex usu, & consuetudine Ecclesiæ ea necessitas colligi potest; alias fieri pollice manus dextræ necessarium esse. Nihilominus dicendum est, necessarium esse fieri unctioem manu Episcopi immediate: quia impositione manus hoc sacramentum à primis Ecclesiæ exordiis conficitur, ut constat ex Apostolorum usu. Et ita docent Poncius, ubi supra, n. 7. Pitigian, in 4. tom. 1. dist. 7. q. 1. art. 6. in fine, Reginald. in praxi tom. 2. lib. 28. c. 2. n. 10. Filliuc. tom. 1. tr. 3. c. 1. q. 7. Cast. Pal. tom. 4. tr. 20. diff. unic. punct. 3. n. 4. & alij. Sed de hac difficultate alibi etiam aliquid tetigimus.

RESOL. VII.

An Episcopus, qui in Confirmatione ungeret alio digito, quam dextero pollice, peccaret mortaliter? Et utrum talis variatio sit materia gravis aut levis? Et an sit de necessitate præcepti, & Sacramenti, quod unctio Confirmationis fiat immediate manu Confirmantis sub signo Crucis, unde nunquam sit efficienda medio aliquo instrumento, ut tempore pestis potest dari Sacramentum Extrema-Untionis? Ex p. 3. tr. 4. Ref. 22.

1. Affirmativam sententiam videtur docere Melchior Zambranus de casibus occurrentibus tempore mortis c. 2. dub. 1. n. 1. ubi sic asserit. Certum est obligari Episcopum sub præcepto ungeri immediate dextero pollice, quia ita præcipit Pontificale. Sic ille; & hoc etiam docere videtur Layman in Theol. moral. lib. 5. tract. 3. cap. 2. n. 5. qui citat Suarez.

2. Verum, ut rectè observat Didacus Nugnus in 3. part. tom. 1. q. 62. art. 4. diff. 3. concl. 4. hoc non est ita certum, quia non constat, utrum materia gravis, vel levis sit talis variatio, videtur enim parum referre, quòd unctio fiat indice, vel pollice: quòd fiat manu dextera, vel sinistra. Ita Nugnus, & ego (ut verum fatear) difficulter de peccato mortali dannarem Episcopum, qui indice v. g. unxerit aliquem in infirmitate.

3. Notandum est verò hæc obiter, non solum

necessarium esse necessitate præcepti, quòd unctio Confirmationis fiat manu immediate confirmantis in fronte sub signo Crucis, sed etiam necessarium esse necessitate Sacramenti; unde nunquam erit efficienda medio aliquo instrumento, ut tempore pestis potest dari Sacramentum Extrema-Untionis.

Sup. hoc in Ref. seq. & in aliis eius primæ not. & pro parte frontis in Ref. præcisa à principio, & in alio §. ejus primæ annot.

RESOL. VIII.

An hoc Sacramentum Confirmationis sit conferendum immediate manu Episcopi, ita ut sit nullum, si conferatur pollice sinistro, & non dextero, vel alio digito, vel quovis alio instrumento sive conjuncto, sive separato? Ex p. 3. tr. 4. Ref. 28.

1. Sacramentum in tali casu esse nullum docent Suarez, & Coninch. quos citat, & sequitur Layman in Theol. moral. lib. 5. tract. 3. c. 2. num. 5. quibus ego addo Reginaldum tom. 2. lib. 28. cap. 2. num. 10. Filliucium tom. 1. tract. 3. cap. 1. num. 17. Nugnum in 3. part. tom. 1. q. 72. artic. 4. concl. 2. quia manus impositio est de ratione hujus Sacramenti, atque adeò debet fieri, quando fit sacramentum ipsum, sed si fiat unctio medio instrumento, non est vera manus impositio. Ergo neque erit verum sacramentum.

Sup. hoc supra in §. ult. Ref. 6. & in Ref. 7. & in fine Ref. 2. & in tom. 4. tr. 8. ex Ref. fol. 60. §. ult. à lin. 4. late ita in Refol. 81. à lin. 9.

2. Non desunt tamen DD. contrarium sentientes, & sic ait Fernandez de Heredia in disputacionibus de Sacrament. Confirmat. diff. 5. part. 5. dub. unic. n. 2. Non estimamus pertinere ad necessitatem Sacramenti, quòd unctio fiat pollice dextero, vel sinistro, vel alio digito, vel quovis alio instrumento, sive conjuncto, sive separato, quippe nihil videtur deesse, neque ex parte materiæ, neque ex parte significationis formæ, quocumque ex his modis fiat chrismatio. Neque idè minus Sacramentum hoc dicitur manus impositio, si fiat unctio penna, vel alio instrumento, quo quidem mediante manus propria imponi dicuntur, sicut & manus violente in clericum injeci dicuntur, si baculo, lapidè, & similibus percutiatur. Pertinebit igitur ad necessitatem præcepti, quòd sine gravi peccato omitti nequit. Ita Fernandez. Sed prima opinio & probabilis, & tutior est.

Sup. hoc gravi peccato leg. 2. Ref. 200. præcisa.

RESOL. IX.

An Episcopus ministrans publicè in Ecclesia Sacramentum Confirmationis sine Pluviali, Mitra, & Baculo Pastoralis peccat mortaliter? Et quid dicendum, si Episcopus confirmando omittet tantum unum ex indumentis sacris? Ex quo deducitur, an Sacerdos faciendo Sacram ex-cusetur à mortali omittendo cingulum, aut manipulum ratione parvitatatis materiæ? Et quid si Episcopus omittet infligere alapam, quando ministrat sacramentum Confirmationis? Et ex consequentiis hujus Resolutionis patet resolutio alterius casus, nempe Episcopum ministrantem Ordines sacros statim post Missam sine aliis indumentis peccare mortaliter, sicut Sacerdotem ministrantem sacramentum Baptismi, & Extrema-Untionis sine vestibus sacris? Ex part. 7. tr. 10. & Misc. 1. Ref. 31.

1. Prima facie videtur respondendum partem affirmativam non esse certam: nam Nugnus